

eramenti cap. 30. Septimò, quia in Concilio Florentino in Decreto Eugenii IV. dicitur, Matrimonium perfecti mutuo consensu, & in Concilio Tridentino sess. 24. de Matrim. can. 6. habetur, dari Matrimonium Ratum, ac Matrimonium consummatum. Octavò, quia multi Sancti conjuges fuerunt, qui inter se inierunt Matrimonium, & tamen mutuo consensu Virginitatem perpetuam servarunt; inter quos S. Henricus Imperator, cum Imperatrice S. Catechizande eius Uxore, ut in Breviario Romano die 12. Julii. S. Cæcilia, ac S. Valerianus Nobiles Romani, ac Martyres, cuius S. Cæcilie corpus à Clemente Papa VIII. post tot annorum centurias illæsum, & integrum fuit repertum. S. Julianus, & Basilissa, quorum vita illustris extat apud Surium tom. 1. die 9. Mensis Januarii. S. Pulcheria Augusta Soror Theodosii Imperatoris, quæ cum perpetuo Deo vovisset Virginitatem, mortuo Theodosio, ea conditione nupsit Marciano, eumque creavit Imperatorem, ut suam castitatem Deo votam conservaret, quod & præstitit, teste Nicephoro lib. 14. cap. 2. Cedreno, & aliis. Boleslaus V. Polonorum Princeps, qui inde Pudici nomen accepit, quia Cuncgundem Bete Regis Hungarorum filiam in conjugem duxit, sed intactam reliquit. Mathildis Comitissa Italiæ, quæ Vulsoni Duci, iussu Urbani Papæ II. nupsit hoc pacto, ut suum Virginitatis Votum inviolatum servaret, ut factum est, Spondanus Anno 1089. num. 5. Conradus Rex filius Henrici IV. Imperatoris, qui cum alia Mathilde conjugis sue ab omni copula ex amore castitatis abstinuit. Alfonsus II. Asturum Rex, qui cum Uxore sua continentiam servans, Casti nomen accepit. Richardis Regina Galliarum, quæ cum marito suo Carolo Crasso Rege celesis permansit. S. Pharaïdis Nepris S. Amelbergæ, æquæ ac Pipini, quæ perpetua fuit in conjugio Virgo. Eduardus III. Rex Angliæ, & Egitha Virgines, & conjuges. Ethelreda Orientalium Anglorum Regina, quæ bis conjugata, semper Virgo permansit, de qua, & de supra recensitis legendus est Eminentiss. Cardin. Baronius Anno 337. num. 50. Anno 480. num. 19. Anno 777. num. 2. Anno 1043. num. 2. Bagatta in admirand. tom. 2. lib. 3. cap. 7. nec non Cornelius à Lapide Comment. in 1. Epist. ad Corinth. cap. 7. Vers. 6. ubi in fine refert duos alios Conjuges Arvernenfes (Arvernium est Urbs Gallie Aquitanie) qui perpetuam castitatem in Matrimonio servarunt, de quibus S. Gregorius Turonensis lib. de Gloria Confessor. cap. 32. ita scribit: Cùm Uxor obiisset, maritus elevatis in cælum manibus dixit: Gratias Tibi rerum omnium Artifex ago, quod sicut mihi eam commendare dignatus es, ita Tibi reddo ab omni voluptatis conjugio impollutam. At illa subridens ait: Sile, sile, Vir Dei: quia non est necesse prodere nostrum secretum. Paulò post mortuus est maritus, alioque loco sepultus, & ecce manè factio, inventa sunt pariter esse sepulcra, quæ usque hodie sic perdurant; idcirco nunc incolæ, Duos, amantes vocitant, & summo venerantur honore.

Cæterum præter supradictos, ac alios plurimos castissimos Conjuges, qui in Matrimonio à copula abstinentes, Virginitatem servarunt, ut de eis Historia, ac Vita Sanctorum frequenter testantur; summa veneratione notandum est exemplum Inmaculate DEIPARÆ Virginis, eoque Sanctissimam Sponsam JOSEPH, qui vexillum castitatis non tantum Virginitas, sed & conjugatis exercent, est juncti Matrimonio, de quo in sequenti Decisione specialiter est differendum.

DECISIO III.
ARGUMENTUM.

Disputatur famosa Quæstio, An inter DEIPARAM, & S. JOSEPH intercesserit verum Matrimonium, an sola Sponsalia? Præmissa tria, de educatione B.M.V. in Templo; de eius Voto perpetue Virginitatis, quod omnium prima emisit, & de modo, ac tempore, quo fuit S. Joseph desponsata. Quod hæc fuerint tantum Sponsalia, rationes sex, ac SS. Patrum dicta. E. contra, quod fuerit verum Matrimonium, rationes septem, ac SS. Patrum testimonia. Solutio ratiouum in contrarium adductarum, & declaratio SS. Patrum. An Votum perpetue Virginitatis stare possit cum Matrimonio? Tandem plura de ætate, excellentia, ac Patrocinio S. JOSEPH.

SUMMARIUM.

- MARIA Virgo quæ ætate in Templo sit præsentata?
- Filie primogenitæ an essent Deo offerende?
- Cellule in Atrii Templi Hebræorum pro Virginitate, ac Viduarum habitations.
- MARIA Virgo in Templo inhabitans Votum fecit perpetue Virginitatis.
- Angelica attestatio ejusdem Voti ad S. Birgittam.
- Votum Virginitatis perpetue à quo prius emissum in Veteri lege?
- MARIE DEIPARÆ primatus Virginitatis debetur.
- Sedulii Poetæ Carmina Salve Sancta Parens, &c.
- Virgines Viri, ac Femine si qui in lege veteri, ac non ex Voto.
- Matrimonium Deiparæ cum S. Joseph quomodo factum, & à quibus?
- Virgines educatee in Templo factæ nobiles dimittuntur.
- S. Joachim Pater DEIPARÆ an viveret tempore ejus desponsationis cum S. Joseph?
- S. Anna Mater B. V. MARIE vivebat, dum natus est Christus.
- Filie Hebræorum hereditarie debebant nubere uni de Tribu, ac Familia Patris sui.
- Annos quot haberet DEIPARA, dum fuit desponsata?
- Matrimonium verum, an Sponsalia tantum contraxerint MARIA, & JOSEPH inter se?
- Quod sola Sponsalia, Rationes sex, & DD.
- Quod verum Matrimonium, Ratum tamen, non consummatum, Rationes septem, & DD.
- Argumentorum pro Sponsalibus tantum solutio.
- Votum Virginitatis DEIPARÆ triplici ratione non impedivit ejus Matrimonium.
- DEIPARA, ac S. JOSEPH antequam simul Matrimonium contraherent, sua Virginitatis Vota ad invicem sibi manifestarunt, & servare spondaverunt.
- Domini rei stare potest obijce ejus usu.
- SS. Patres negantes Matrimonium inter DEIPARAM, ac S. JOSEPH intelligendi sunt de Matrimonio consummato.
- Ætas, ac anni S. JOSEPH dum Virginitatem DEIPARÆ desponsavit.
- Ejus excellentia septem ex eadem desponsatione.

He autem inquirendum venit, an inter DEIPARAM, & ejus Sponsam S. JOSEPH fuerit verum Matrimonium? Pro majori intelligentia tria sunt præmittenda. Primum est, quod Augustissima, ac Sanctissima Vir-

Virgo Mater Dei, tribus tantum annis educata fuit in domo S. Joachim, & S. Annæ parentum ipsius, à quibus sterilitate laborantibus, & prolem à Deo petentibus, votum factum fuit, illam consecrandi, ac offerendi Deo, ad instar Annæ Matris Samuelis, quæ filium suum iuxta prece obtentum, Deo obtulit, ac ejus Divino Servicio mancipavit, ut legitur 1. Reg. 1. 26. Idcirco, quamvis lex de offerendis primogenitis ad offerendas filias eas offerre, ac divino numeri consecrare, ut observat Suarez in 3. par. D. Thom. tom. 2. disp. 7. in princ. & sic cum Deipara esset annorum trium filia per S. Joachim, & S. Annam in Templo præsentata, & ibi in sanctis virtutibus, ac divino Amore erudienda relicta. Virginitas enim esset, in Templo est præsentata, & ibi in Sanctis Sanctorum traduxit annis undecim; ait Evodius apud Nicephor. lib. 2. cap. 3. quos refert Saliarius ad Annum Mædii 4051. num. 17. Siquidem, ut innuitur in nostris Decisionibus De Sacrificio Missæ, Decif. XII. sub num. 32. in Templo Hebræorum non solum in artibus exterioribus erant constructæ cameræ, in quibus habitarent Sacerdotes, ac Levitæ, ipsi Templo ministrantes iuxta vias suas, sed etiam erant cellulae pro habitatione sanctorum mulierum tum Virginitate, tum Viduarum, quæ ibi manebant in jejuniis, ac orationibus servientes Deo; ac in utensilibus sacris manutendis, conservandis, & multiplicandis se occupantes, ut legitur 2. Machab. 3. 19. & Luc. 2. 36. traditque Josephus Hebræus lib. 8. antiqu. cap. 3. & late Canisius de Deipara lib. 1. ca. 12. quos allegat etiam Suarez d. disp. 7. in princ. In hoc ergo loco, & cellulis Templi, in quibus alia Virgines, ac sanctæ mulieres Viduæ morabantur, permansit Deipara Virgo usque ad nobiles annos, soli Deo vacans, & forma virtutis efflata, ut dicit S. Ambrosius lib. 2. de Virginit. atque Angelorum apparitionibus fruens, à quibus etiam cibum ei ministratum fuisse scribit S. Bonaventura in lib. Medit. Vita Christi cap. 3. ex Gregorio Nicomedienfi Homil. de oblat. Virg. in templo, & ex Cedreno in Compend. Hist.

Secundum præmissum est, quod inter cæteras heroicæ virtutes, quas DEIPARA Sanctissima acquisivit, & exercuit in Templo inhabitans, præcipua fuit puritas animæ, & corporis; undè Votum perpetue Virginitatis emisit, ut docent S. Augustinus lib. de Virginit. cap. 4. S. Gregorius Nyssenus serm. de Nativitat. Rupertus lib. 4. in Cantic. S. Bernardus de Excell. Virginit. cap. 4. Hugo Victorinus lib. de Perpetua Virginitate cap. 1. & cæteris omissis, universa Schola Theologorum cum Magistro Sententiarum in 4. dist. 30. Hinc Angelus ad S. Birgittam in Serm. Angelico cap. 12. ita ei narrait: Hæc denique Virgo (MARIA) post suam nativitatem novæ lucernæ, sed nondum accense, similis erat, quam ita tamen accendi oportuit, quod sicut Dei charitas, quæ tribus flammis assulatur, in cælis radiabat, simili modo hæc electa lucerna MARIA aliis tribus charitatis flammis in hoc tenebroso mundo radiaret. Prima quippe flamma MARIE coram Deo satis lucidè resplescendit, quando ad Dei honorem Virginitatem immaculatam usque ad mortem firmiter servare promisit. Hanc nique honestissimam Virginitatem ita Deus Pater concupivit, quod suum dilectum Filium cum sua, Filioque, ac Sancti Spiritus Divinitate sibi mittere dignatus est. Hoc idem manifestavit eadem S. Birgitta ipsa DEIPARA lib. 7. Revelat. cap. 25. his verbis: Verum tamen pro certissimo scire debes, quod Joseph antequam desponsavit me, intellexit in Spiritu Sancto me vovisse Virginitatem Deo meo; immaculatamque esse cogitatione, verbo, & opere. Hinc Ven. Beda super illis verbis Luc. 1. Quomodo fiet istud: ait, Proposuit suæ mentis Virgo exposuit,

vitam scilicet Virginitatem ducere se decrevisse. Et Sanctus Augustinus in lib. de Sancta Virginitate cap. 4. Profudè (inquit) non diceret Virgo, quomodo fiet istud? nisi Deo Virginitatem se ante vovisset. Inquirunt autem hic Doctores, an Deipara fuerit prima, quæ votum emisit Virginitatis, ita ut nullus sivè Vir, sivè Femina ante illam professus fuorit vitam Virginitatem? Et prima Virgo fuit, teste S. Ambrosio lib. 1. de Virginit. Item Jeremias, Elias, & S. Sibililla, quæ recensimus de Sacrificio Missæ Decif. XXVI. à n. 24. & seqq. ut scribit Sanctus Hieronymus lib. 1. advers. Joosian. Secundò, quia etiam Melchisedech, & Josue fuisse Virgines notat S. Ignacius in Epist. ad Philadelphenses. Tertio, quia Danielis corpus, ita obduratum fuit, ut Leonum dentes illi infigi nequiverint, scilicet per Virginitatem; & per eam tres perierunt aperi, ut ignis eorum corpora minime inficere poterit, juxta S. Jo. Damascen. lib. 4. de hæc. c. 25. Quarto, quia inter Judæos collegium fuit Essenorum, de quibus pariter nos scripsimus de Sacrificio Missæ Decif. XXIV. num. 61. & quos vitam in castitate traduxisse ex gravissimis Auctoribus demonstravimus. Quinto quia in Templo inter sanctas mulieres ibi commorantes plures erant Virgines, ut dictum est supra nu. 3. quarum aliquas vitam castam usque ad mortem ducere voluisse, non videtur impossibile. Et Sextò, quia D. Gregorius Nazianzenus in carminibus de Virginit. concedit in veteri lege servatam à nonnullis Virginitatem; & Sotus in 4. dist. 3. qu. 1. art. 1. ait: DEIPARAM Virginitatem in sua gente Virginitatis colendæ exemplum habuisse. His tamen minime obstantibus contrarium est affirmandum, ut docent SS. Patres, quos longa serie recenset, & quorum verba refert Barradius in Concord. Evangel. tom. 1. lib. 7. c. 8. ad illa verba: Quomodo fiet istud? videlicet S. Bernardus, Beda, Albertus Magnus, S. Antonius, S. Bonaventura, Rupertus, Abulensis, & alii; qui omnes primatum Virginitatis Augustissimæ MARIE Virgini deferunt, ea ratione quia in veteri lege omnes subdebant generationi; itque felix, ac Deo charas judicabatur, qui liberorum copia abundaret, undè aiebat David Psal. 127. 3. Uxor valde est virtus abundans in lateribus domus tue. Filii tui sicut novelle olivarum in circuitu mense tue. Idcirco omnes feminae appetebant conjugia; & earum nulla Virginitatem colebat, & propter hoc dicitur Judic. 11. 37. quod Jephthe amarè flebat, quod in Virginitate mori cogeretur. Hinc DEIPARA appellatur Regina Virginitatis, idest prima, quæ Virginitatem professæ est, & de ea canit Ecclesia: Sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo; quæ verba desumpta sunt ex Sedulio antiquissimo Poeta christiano, qui floruisse fertur sub Theodosio Imperatore Anno Christi 430. Is enim Carmin. lib. 2. sic 8 de Sanctissima Virgine Dei Matre eccinit: Salve Sancta Parens, emisa puerpera Regem, Qui cælum, terramque tenet peracula: cuius Numen, & eterno completens omnia ergo Imperium sine fine manet: quæ ventre beato Gaudia Matris habens cum Virginitatis honore. Nec primam similem vixisti, nec habere sequentem. Sola sine exemplo placuisti Femina Christo. Quibus relatis verbis sic subdit Barradius: Carmina si expendas, intelliges hanc verborum, de quibus sermo est, esse sententiam. Nec primam, & Virgo, habuisti equalem Tibi ante Te, nec sequentem post Te: quocirca sola sine exemplo, idest sine pari, & equali placuisti Christo: nullum enim fuit aliud exemplum, idest nulla fuit alia femina Virgini par, Voto Virginitatis constabilita. Neque subsistunt objectiones supra factæ, quia esto Sancti illi homines Virginitatem servaverint, eam

eam tamen non ex Voto professi sunt; & idem dicendum est de mulieribus veteris Testamenti, inter quas nonnulli existimant, Mariam forem Moyfis fuisse Virginitatis cultrice, ut ait Div. Gregorius Nyssenus in lib. de Virginitate. cap. 19. at tamen eandem nupsisse, & fuisse uxorem Hur, qui fuit iudex cum Aaron, & sustulit manus Moyfis scribit Josephus lib. 3. antiquit. c. 2. & Abulensis in hinc c. 35. Exodi; quare idem dicendum de aliis puellis, quae educabantur in cellulis Templi Iudaorum; nulla enim earum legitur vovisse, ac servasse Virginitatem usque ad mortem; adeo ut ipsa Dei Genitrix prima fuerit, quae admiranda Virginitatis Vexillum extulit, & reliquarum omnium Virginitatis exemplar, Mater, Princeps, ac exemplar extiterit.

Tertium praemissum concernit modum, & tempus desponsationis DEIPARAE cum S. Joseph; nam discordant feribentes in utroque. Quo ad modum nonnulli ex SS. Patribus scripserunt, vixisse Beatam Virginem in aedibus Templi usque ad aetatem conjugio aptam; tunc Sacerdotes scientes, eam vovisse Deo Virginitatem suam, nec posse nubere, neque ubi in illis aedibus commorari, (non enim licitum erat tenere Virgines nobiles) decreverunt, cum iam mortui essent parentes Sanctissimae Virginis, eam custodiendam tradere alicui probro Viro, qui eius Virginitatem custodiret sub titulo, ac nomine sponsi; & sic inventurum S. Joseph de eadem cognatione, cui consentient in Sponsalibus, non autem in Matrimonio; eam tradiderunt servandam, & sic ipse illam sibi desponsatam accepit custodiendam. Ita ex SS. Gregorio Nysseno, Jo. Damasceno, Evodio, Andrea Cretenis, & aliis Summe d. tom. 2. in 3. part. disp. 7. in princ. & Barradius d. tom. 1. lib. 6. cap. 7. Porro haec non videntur posse esse vera, ut considerat Barradius ibidem, tum quia Votum Virginitatis ad Deipara emissum non erat cognitum Sacerdotibus; tum etiam quia si cognitum fuisset, & eam mediocribus sponsalibus, tantum custodia causa Josepho tradidissent, cum paulo post gravida foret virtus Spiritus Sancti, famam perdidisset apud Sacerdotes, putantes eam sacrilege cognitam ab aliquo; ideo si Sacerdotes eam S. Joseph desponsarint, (supposita morte genitorum eius SS. Joachim, & Annae,) verisimilius est, eam illam dedisse tamquam conjugem ad liberos procreandos, juxta morem aliarum puellarum nubilium; ac proinde postea eius partum nullus est admiratus, quia non ex simplici Virginitatis custode, sed ex proprio, ac vero conjugio conceptus omnes (est falsus) arbitrabantur.

Igitur conietur verior alia opinio, quae refertur ab eodem Barradio d. lib. 6. c. 7. col. 3. e quodam antiquissimo libro de Nativitate Virginis desumpta, videlicet, quod annuati Pontifex Hebraeorum publice denunciabat, ut Virgines, quae in Templo educabantur, cum aetatis tempus impleverint, domum suam reverterentur, & nuptiis secundum morem gentis, & legis ordinationem operam darent. Quare etiam Sanctissima Virgo nubilis effecta ad paternam domum rediit, in qua S. Joachim eius genitor adhuc vivebat; natus enim erat Anno Mundi 3990. ut notat Tornellus in Annalib. ad d. Annum; & Sanctissima Virgo desponsata fuit S. Joseph Anno 4050. ut ibidem demonstrat idem Tornellus; nec non Sallianus ad Annum Mundi 4051. nu. 17. & 18. & sic tunc temporis S. Joachim vix annum sexagesimum aetatis suae excedebat, & in humanis esse poterat: at dato etiam, quod praemortuus fuisset, vivebat adhuc S. Anna DEIPARAE Mater, quam Redemptorem nostrum JESUM natum vidisse scribit Ribadencia ex antiquis Patribus in Vita eiusdem S. Annae die 26. Julii; quapropter ipsam S. Annam cum cognatis, & parentibus providisse de Sponso Filiae suae probabiliter apparet, & ei exhibuisse

S. Josephum de eadem Tribu, ac Familia S. Joachimi juxta legem, quae Num. 36. praecipiebat ita juxta Hebraicam versionem: Omnis filia hereditatem hereditatis uni de familia Tribus patris sui erit in uxorem; ut ostendit P. Jo. Baptistae Ricciolius in Chronolog. Refor. tom. 1. lib. 8. cap. 17. num. 6. & num. 8. ubi Patres antiquos, ac modernos allegat. Cumque Sanctissima Virgo, tamquam unica filia, S. Joachimi haeres esset hereditatis paternae, nupsit S. Josepho, qui erat de eadem Tribu Iudae, & familia David, de qua Tribu, & familia erat S. Joachim; & per consequens ipsa Augustissima Virgo Dei Genitrix. Haec quoad modum desponsationis eius.

Quo ad tempus non minor est discrepantia circa aetatem, ac annos, quos DEIPARA aegeret, dum fuit S. Joseph desponsata. Alberus Magnus opinatus est, eam desponsatam anno aetatis suae vigesimo quinto, sic faciocinando: Corpus perfectissimum secundum aetatem, non est ante statum virginis quinque annorum. Ergo Corpus Beatissimae Virginis debuit esse ut minimum virginis quinque annorum cum Christum concepit. Itaque supponendo quod in Beatissima Virgine fuit omnis congruentia, tam ex parte naturae, quam ex parte gratiae, ad hoc ut Mater Dei fieret, creatus quod Deum conceptuati aetate, qua perfecta fuit statu corporis, & quantitate; & quod circa eandem quantitatem aetatis fuerit desponsata; tanto temporis spatio dempto, quanto sponsalia Matrimonium solet praecedere, duorum vigilect mensium. Haec Alberus, cujus verba praedicta recitat Carthusianus in lib. de Laudib. Virgin. art. 37. & Alberti opinionem amplectitur Cardin. Cajetanus Comment. in Luc. 1. ad illa verba Desponsatam S. Joseph; & secundum hanc opinionem dicendum foret, Praelatos Ecclesiarum motos fuisse in decernendo, ut puellae, quae educantur in Monasteriis Monialium, ibi non moerent ultra vigesimum quintum annum nisi velint Religiosam vitam profiteri. Caeterum est alii Patres dixerint Dei Genitricem desponsatam fuisse S. Joseph Anno aetatis suae 19; alii 16; verior; & communior opinio firmatur in Anno decimo quarto ob supra dicta verba Evodii Apostolorum Successoris relata a Nicephoro lib. 2. Hist. cap. 3. quae haec sunt: Trinita cum esset (MARIA VIRGO) in Templum est praesentata; & ibi in Sanctis Sanctorum traduxit annos undecim. Et ita tenent S. Epiphanius, Sanctus Bonaventura, Canisius, Salmeron, & alii, quos citant, ac sequuntur Barradius d. tom. 1. lib. 6. cap. 7. col. 9. Ricciolius d. tom. 1. lib. 8. c. 14. n. 4. atque ante illos Suarez d. disp. 7. sect. 3.

His ita praemissis ac praenotatis, deveniendum est ad resolutionem famosae Quaestionis, Utrum inter Sanctissimam Virginem MARIAM Matrem DEI, & S. JOSEPH fuerit verum, ac perfectum Matrimonium in initum per verba de praesenti? An tantummodo Sponsalia contracta per verba de futuro? Et multa videntur urgere pro exclusione veri Matrimonii, & admissione dumtaxat Sponsalium. Nam Primò Angelus ait ad S. Joseph: Noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Matth. 1. 20. Ergo nondum eam acceperat in conjugem, sed tantummodo desponderat per Sponsalia. Secundo, quia idem Evangelista ait: Cum esset desponsata Mater eius MARIA Joseph, antequam conveniret, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto. Matth. 1. 18. Ergo antequam Matrimonium per verba de praesenti contraherent; & simul cohabitarent. Tertio, quia si jam Matrimonium fuisset contractum, dixisset Evangelista Cum esset conjugata; non autem Cum esset desponsata. Quarto, quia DEIPARA antea voverat Virginitatem, ut probatum est supra in secundo praemisso an. 4. & seqq. Ad vulgatum est S. Augustini dictum de Nupt. & Concupisc. Vovenibus Virginitatem non solum nubere, sed velle nubere, damnable est.

Ergo non poterat nubere, neque Matrimonium contrahere. Quintò, quia per contractum Matrimonii Vir acquirit jus in corpus mulieris ad explendam copulam, unde ait Apostolus 1. Cor. 7. 4. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed Vir. Sed S. Joseph hoc jus non acquisivit, neque hanc potestatem unquam habuit; quia eadem Coelorum Regina dixit S. Birgitta loquendo de Sanctissimo suo Sponso JOSEPH: Ea intentione desponsavi me, ut serviret mihi, habendo me pro Domina sua, non pro Uxore. Ita in Revelat. lib. 7. c. 25. n. 1. Sextò, quia sic innuere videntur SS. Patres; nempe S. Hilarius can. 1. in Matth. ibi: Mater potius Christi virgo, quia id erat, non Uxor Joseph est nuncupata; quia non erat. S. Gregorius Nyssenus Homil. de Nativitate. Puellam Sponsam accepit, quae tamen conjunctio Sponsalia non est egressa. S. Hieronymus in Matth. 1. cap. 2. Non dixit, accipere filium tuum, & uxorem tuam; sed puerum, & Matrem eius, quae nutritus, non maritus. S. Gregorius Magnus Homil. 26. in Evangel. Dominus MARIAM habere Sponsam voluit, qui tamen ad eius Nuptias non pervenit. S. Epiphanius Heref. 78. Desponsata, & non Nupta. S. Bernardus Homil. 2. super Missus est: Mirum cur desponsata fuerit, non nupta. Et rursum ibidem: Virum nominat Evangelista Josephum, non quia Maritus, sed quod homo virtutis erat. Consimilia aliorum Sanctorum dicta cumulat Suarez d. tom. 2. in 3. p. disp. 7. sect. 1. Barradius d. lib. 6. cap. 7. tom. 1. lib. 6. cap. 7. sect. 1. Barradius d. lib. 6. cap. 7. tom. 1. lib. 6. cap. 7. & novissime Emin. Cardinalis Capifucchius in Contraversis Theologicis Selectis Controv. 14. in princ. ibi ad Studiosis videntur.

Caeterum his in nihilo refragantibus, vera, & catholica responsio est, quod inter Sanctissimam VIRGINEM DEI Genitricem MARIAM, ac Sanctum JOSEPH ejus Sponsum fuit verum Matrimonium, Ratum tamen (ut vocant Theologi, non consummatum) ac per verba de praesenti completum, & perfectum. Haec veritas probatur. Primò, quia S. Joseph ab Evangelista vocatur Vir MARIE, id est ejus Maritus. Matth. 1. 16. Jacob autem genuit Joseph Virum MARIE; Item ibi Vers. 19. Joseph autem Vir ejus. Secundo, quia S. Joseph cum adhuc nesciret Mysterium Divinae Incarnationis, & videret eam gravidam, voluit oculis dimittere eam. Matth. 1. 19. Ergo jam eam acceperat in Uxorem; nemo enim dimitte, quod jam non accepit. Tertio, quia DEIPARA pluries vocatur Sancti Josephi Coniux, & Uxor. ibi: Joseph Fili David noli timere accipere MARIAM conjugem tuam. Matth. 1. 20. Et ibi: Ut profiteretur cum MARIA desponsata sibi Uxore praegravante. Luc. 2. 5. Quarto, quia Beatissima Virgo statim post conceptum DEI Filium, abiit in montana ad visitandam cognatam suam Elisabeth, ubi mansit tres menses, nec potuisset iter illud facere, ac moram illam trahere absque marito sui assistentia. Suarez d. disp. 7. sect. 2. col. 2. Quintò, quia si non fuisset vere conjugata, ejus fama deperisset, dum homines vidissent ejus ventrem intumescere, ac filium parere. Sextò, quia Christus Dominus habitus fuisset filius spurcius, & illegitimus; quem ut talem Judaei respiciunt, nisi opinati essent, eum esse filium Joseph, quem certo sciebant duxisse in Uxorem MARIAM Virginem; ipsamque ejus conjugem, & uxorem fuisse. Septimò, quia, ut consideravit S. Ignatius Martyr, voluit Deus, ut praecederet verus contractus Matrimonii inter S. Joseph, & Sanctissimam Virginem, ut partus ejus claretur diabolo; dum eum putat, non de Virgine, sed Uxore generatum; Deo enim impediente, diabolus videre non poterat, quid ageretur inter hos conjuges, nec scire valebat, quod castè, & intactè viverent. His, & aliis considerationibus, quae brevitate causa omittuntur, utraque Theo-

logorum Schola semper tenuit, ac docuit, inter DEIPARAM, ac S. JOSEPH intercessisse verum, ac perfectum Matrimonium Ratum, non Consummatum; & ita SS. Patres antiqui, ac moderni scriptum reliquerunt; quos longa manu congerunt Suarez d. tom. 2. in 3. p. disp. 7. sect. 1. Cornelius a Lapide Comment. in Matth. c. 1. Vers. 18. Ricciolius d. tom. 1. lib. 8. c. 19. n. 4. & seqq. usque ad n. 8. ubi recenset septem praecipuas causas, ob quas Filius Dei nasci voluit ex Matre Virgine, sed conjugata; & illas refert etiam Barradius d. tom. 1. lib. 6. cap. 7. allegans plurimos DD. sic contentes; quibus addendus Eminens, Card. Capifucchius d. Contravers. 14. per totam, in qua hanc quaestionem examinat, & pluribus argumentis, ac rationibus hanc veritatem confirmat, prout etiam Gobatus tractat. 10. num. 397.

Neque subsistunt objecta in contrarium facta. Non primum; quia illa Angeli verba Noli timere accipere Mariam, significant acceptam habere, & retinere; saepe enim haebraica verba significant actum non solum inchoatum, sed etiam continuatum, ut advertit Cornelius a Lapide in Matth. c. 1. Vers. 18. & docet eodem Commentar. in princ. Canon. 22. & ideo tunc Angelus addit Conjugem tuam, quia iam contractum erat Matrimonium per verba de praesenti; imò quando fuit annunciata ab Angelo ipsa DEIPARA reperiebatur in domo S. Joseph Sponsi sui, cum quo cohabitaret ceperat, ut notat S. Thomas in 3. p. qu. 29. art. 2. ad 3. & alii SS. Patres quos citat Sylveira in Evang. tom. 1. lib. 1. capit. 10. n. 6. inter quos S. Bernardus in Hom. 2. super Missus est. Non obstat Secundum, quia Verba illa antequam convenirent, non innuunt antequam contraherent, nec antequam uxorem ad domum suam duceret, sed antequam Matrimonium constitueret. Non Tertium, ly enim desponsata tantum valet, quantum conjugata; sed per Matrimonium ratum, non consummatum, quia intacta, neque à Viru cognita; unde S. Petrus Chryzologus serm. 175. ait: Joseph maritus solo nomine; conscientia Sponsus. Non obstat Quartum, circa quod tres colliguntur responsiones ex pluribus per DD. concessis pro eo resolvendo. Una est S. Thomae in 4. Sent. dist. 30. qu. 2. art. 1. quaestione. 1. ac 2. nec non in 3. p. q. 28. art. 4. videlicet, quod Votum Virginitatis DEIPARAE non fuit solemne, sed simplex, per quod non firmatur Matrimonium; & ulterius quod non fuit absolutum, sed conditionatum, si Deo placeret, & nisi Deus aliter praeciperet: quapropter, hac conditione flante, Sanctissima Virgo consentit Matrimonio cum S. Joseph; intelligens sic Deo placitum esse, & sic Deum praecipere: Ita, sed fuisse Cardin. Capifucchius d. Contrav. 14. s. 4. & s. 5. Secunda responsio est, quod DEIPARA, est voto absoluto Virginitatis adstricta, nupsit S. Josepho, quia divinitus fuit à Spiritu Sancto certificata, quod S. Joseph ejus Virginitatem non violaret, sed intactam, & illibatam servaret. Ita Barradius d. tom. 1. lib. 6. cap. 7. col. 7. ibi: Respondemus paucis, Virginem ex Divina revelatione, sine ulla Virginitatis, voluntate quod sciret, se Viro tradi, cui perfectum quoque color Virginitatem erat in animo. Concordat Consensus Duranti in Notis ad Revelat. S. Birgittae lib. 1. cap. 10. num. 3. Tertia responsio est, quae mihi magnopere arridet, quod ante Sponsalia DEIPARA manifestavit S. JOSEPH, se emississe votum perpetuae Virginitatis, & ab eodem pariter intellexit, eodem voto ipsum esse adstrictum; unde pari consensu ad invicem convenerunt Matrimonium quidem contrahere, sed ab omni conjugali actu penitus abstinere, & illibatam Votum Virginitatis ad Dei gloriam usque ad mortem servare; quia conventio facta, & Sponsalia interunt, & Matrimonium ratum per verba

verba de presenti inter se firmanunt; quam quidem conventionem non esse contra substantiam Matrimonii tradunt Abulenſis in c. 30. Numer. q. 32. Paludanus in 4. dist. 30. q. 2. Gerion. *Serm. de Nativitate Marie*. Ludolphus de *Vita Christi* part. 1. c. 3. quos citat, & approbat Ricciolius d. tom. 1. *Chronol. Reform. libr. 8. c. 19. subnum. 5.* ubi reddit rationem dicens: *Nam illa conditio (Virginitatem perpetuam servandi) non perimit omnem effectum Matrimonii, quia in utroque manet jus, ne alter contrahere possit Matrimonium cum alia persona.* Et hanc eandem doctrinam, ac responſionem tumentur plures Theologi Morales, inter quos Basilius Pontius de *Matrim. lib. 1. cap. 17. Rebullus de oblig. Just. part. 2. lib. 2. qu. 13. à n. 37. segg. Ledefma quæst. 47. art. 5. Vers. Quod verò attinet.* Coninchius *disp. 24. dub. 4. num. 43.* Bonacina de *Matrim. quæst. 2. punct. 10. num. 13.* & alii apud Barboſam in *Collect. DD. ad capit. Si conditiones. num. 3. de Condition. appoſt.* quibus addenda sunt exempla in antecedenti Decif. II. num. 16. relata; effect enim nefas dicere, non fuisse verum Matrimonium inter S. Cæciliam, & Valerianum; inter S. Henricum Imperatorem, ac S. Cunegundem, ac inter alios castissimos conjuges ibi nominatos. Non obstat Quintum; quia etsi in Matrimonio conjuges acquirant jus reciprocum in corpora sua; hoc tamen jus sufficit, ut subsistat quo ad dominium dicitur; etsi non adfit quo ad usum. Nam, ut ait Bonacina d. punct. 10. num. 13. *Potesť subsistere dominium, & subsistere corporum cum prædicta obligatione, seu conditione servandæ castitatis; eam enim dominium distinguunt ab usu, potesť verum dominium subsistere cum obligatione, seu conditione non agendi re ipsa.* Itaque inter Sanctissimam Virginem, & S. JOSEPH filii quidem hoc Jus, & hoc dominium; sed non fuit usus corporum, attento pacto, ac promissione reciproca caritè vivendi, & vota hinc inde Virginitatis servandæ facta adimplendi, ut latissime demonstrat Rebullus tum rationibus, tum dictis SS. Patrum. *De Oblig. Just. lib. 3. quæst. 13. à n. 37. segg. Idcirco dicit S. Birgitta ipsa DEIPARA, ac intentione desponsavit se JOSEPH, ut servaret mihi, habendo me pro Domina sua, non pro Uxore; excludo proſors conjugii usu carnali; & ut notat ibidem Conſalvius Durantus. Ut illi servaret, etiamque custodiret, quod etiam ad mariti functionem pertinet; non ut ab ea Virginitatem auferret, ut communiter in aliis accidere solet.* Neque tamen hoc intento contrariatur Matrimo- nio, quoniam propositum consummandi illud non est ac substantia eius, ut ex cap. Sufficit. 27. qu. 2. patet, & tradit D. Augustinus de bono conjugali cap. 25. ac etiam ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii, ubi definit, Matrimonium perſe mutuo consensu. Quod si- fuso repetit, & Tandem non obstat Sextum, in quo contrarium videbatur dicere SS. Patres ibi relati; ²³ nam omnes loquuntur de usu Matrimonii, de copula maritali, de Matrimonio consummato, in quo sensu scripserunt, S. JOSEPH non fuisse maritum, neque Sanctissimam Virginem exiſtiſſe ejus Uxorem; sedus autem habita relatione ad Matrimonium ratum, quod inter eosdem verò exiſtiſſe fatentur, ut copiose diſſerit Suarez d. tom. 2. in 3. part. disp. 7. sect. 1. Vers. Ad Sandi, nec non Barradius d. tom. 1. lib. 6. cap. 7. col. 6. Vers. Hec Patrum verba. atque Eminentiss. Cardin. Capisuechius d. controv. 14. §. 8. prope finem Vers. Ad testimonia verò SS. Patrum.

²⁴ Hic autem duo corollaria sunt adiungenda. Unum est, cuius etiam effectus S. JOSEPH, quando desponsavit sibi Almam Virginem, ac eam duxit in Uxorem? Et equidem tunc cum fuisse octogenarium scripserunt Nicephorus, Abulenſis, Jo. Gerion, Viguerius, Cedrenus, & alii, quos allegat Suarez d. tom. 2. in 3. part. D. Thom. disp. 7. sect. 3. & Barradius d. tom. 1. lib. 6. cap. 7. col. 11. quod deduci posse videtur ex picturis, quæ hunc Sanctissimum Sponſum senem repræsentant.

At hæc opinio non placet ex sequentibus. 1. Quia in Matrimonii servanda est proportio ætatis. Sed DEIPARA erat juvenis; ergo etiam S. JOSEPH. 2. Quia si non fuisset in ætate apta ad generandum, fama Sanctissimæ Virginis non fuisset illæsa servata. 3. Debebat esse florida ætatis ad tot peregrinationes cum Beatissima Sponſa peragendas, eundo in Bethleem ante partum Virginis, & paulo post partum declinando in Ægyptum ad præservandum puerum JESUM ab ira Herodis, post cujus mortem longum illud iter denud aggressus est, cum MARIA, & JESU revertentes in Judæam, civitatemque pristinam Nazareth. Item oportebat, eum esse florida ætatis ad plurimos labores pro sustentatione familiæ tolerandos. 4. Quia soliti erant Hebræi in juvenili ætate Uxores ducere, non autem expectare senectutem. 5. Quia emiserat Votum Virginitatis, hoc autem fieri solet in juventute; non in senili ætate. 6. Quia Evangelista dixit; *Misus est Angelus, &c. desponsatam Viro; non autem seni.* 7. Quia prædixerat Itaias cap. 62. num. 5. de tempore adventus Messie, quod *habitabit juvenis cum Virgine; id est S. JOSEPH cum MARIA, ut ibi Gloſſa, ac Lyranus interpretantur.* 8. Quia cum hoc Matrimonium esset præordinatum à Deo, ut Christus Dominus putaretur filius Sancti JOSEPH; hunc oportebat esse florida ætatis; ut ex his, ac aliis conjecturis concludit Suarez d. disp. 7. sect. 3. & Barradius d. lib. 6. cap. 7. col. 12. ubi ita firmat: *Crediderim JOSEPH non fuisse senem, sed ætatis perfectæ Virum; generandus liberis, juvandeque Virgini, & fabricis artis labori aptum. Alioquin nec Virgini fame satis consultum foret, si generationi esset propter senectutem ineptus; neque eius obsequium, & ars utilis esset, si jam ætate foret confectus.*

Alterum corollarium continet excellentiam, ac sublimem sanctitatem S. JOSEPH. 1. Quia fuit Sponſus DEIPARÆ, & excepto usu maritalis copulæ, habuit omnia jura, & munera veri Sponſi. 2. Quia obtinuit nomen, ac existimationem patris JESU Christi Filii Dei, & in hoc Pater æternus cum sibi similem fecit. Quod si magna fuit dignitas Joannis, cui Christus pendens in Cruce assignavit Sanctissimam VIRGINEM in Matrem suam; quanto major est excellentia S. JOSEPH, cui æternus Pater communicavit in nutriendo ejus Filio incarnato suam Paternitatem? 3. Quia non solum Patris nomen, sed officium, sollicitudinem, ac affectum S. JOSEPH habuit erga Christum, ita ut factus fuerit, ut ait S. Bernardus Homil. 3. circa fin. *Servus fidelis, & prudens, quem constituit Dominus sue Matris solatium; sue carnis nutrium, solum denique in terris magni consilii coadjutorem fidelissimum; ut non immeritis illi ac commodari possit, quod de alio JOSEPH scriptum est, constituit eum Dominum domus sue, & Principem omnis possessionis sue.* 4. Quia sicut per verum Matrimonium ratum contractum cum Sanctissima Virgine, in eam omne dominium, usu maritalis copulæ excepto, acquisivit; ita & in Christum in ejus utero incarnatum habuit plenam dominationem; quod enim nascitur, vel ædificatur in solo alieno, sub illius dominium cadit, cuius est solum. *§. Cum in tuo solo. Vers. ex diverso. Inſtit. De rer. div. idcirco de Christo dicitur, Luc. 2. quod erat subditus illi.* 5. Quia singulare vinculum mutui amoris intercedebat tum inter MARIAM, & JOSEPH, quem illa lumine diligebat, & cui omne bonum à Deo precabatur, videns ejus sanctitatem, obsequia, ac labores; tum inter JESUM, & ipsimum JOSEPH, qui ex Incarnati Verbi familiaritate, ac continua præsentia incessanter proficiebat in utraque vita, activa, & contemplativa; aded ut multi ex SS. Patribus scripserint, S. JOSEPH superas merita, ac dignitates Apostolorum; ut disputando diſſerit (respectu ministerii attingentis Unionem Hypostaticam) Suarez d. tom. 2. in 3. part. disp. 8. sect. 1. in fin. & abun-

abundantiù sæpe citatus Barradius eod. tom. 1. lib. 6. cap. 8. per tot. cui addendus est Cornelius à Lapide d. *Commentar. in Matth. cap. 1. vers. 16. 6.* Tandem quia S. JOSEPH cum ex hac vita migraverit, Christo adhuc vivente, habuit illum, ac Sanctissimam Virginem adjuvatore, & consolatore in transitu suo, undè sic de eo cecinit Jo. Gerſon Cancellarius Parisiensis, teste Barradio d. cap. 8. prope finem. *Venerat illa dies, que vitam morte pararet Perpetuam Tibi justè JOSEPH, David inelſta proles.*

Christus quæſt cum Matre pia, quibus officiis Servit; vultu placido solantum euntem. Ora licet lacrymis oppleſſerit intus obortis Naturalis amor, etenim sat credere fas est, Quod Patrem JESUS, & Sponſum flevis morientem Virgo benigna suum, &c.

Hic addendum est officium S. JOSEPH patrocini- um erga suos devotos; quocirca Sancta Teresa mira devotione colebat S. JOSEPHUM, eandemque omnibus commendabat, afferens se per intercessionem S. JOSEPH multa, & magna, imò omnia, quæ habebat, à Deo impetrasse, ut notat Cornelius à Lapide ubi proxime, & de eodem Patrocinio prælaudat Gerſon pius Poeta, apud ipsum Barradium, adjungit:

Quanta è fiducia? Quanta est Vis impetrandi? Quia dum Vir, dum Pater orat Uxorem, & Natum, velut imperium rogatus. Legant animarum Pastores, ac Verbi Dei Præcones, conciones duas pulcherrimas de laudibus, ac patrociniis S. JOSEPH: Unam in Quadragesimali eximii Concionatoris Pauli Segerii Societatis Jesu, quæ est in ordine XXXIX.; Alteram Romuli Marchelli Clerici Regularis Bernabitz, quæ pariter in ejus Quadragesimali est in ordine XXVIII.

DECISIO IV. ARGUMENTUM.

Definitur Matrimonium tamquam Sacramentum, & de eo quinque curiosa, sed utilia dubia resolvuntur. Videlicet: 1. An ante Legem Evangelicam Matrimonium fuit Sacramentum in omni populo? 2. An illud Infidelium, dum baptizantur, fiat Sacramentum? 3. An illud fidelis cum infideli? 4. An illud duorum fidelium, si ipsi intendant facere solum contractum, non autem Sacramentum? Et 5. Quid de Matrimonio contracto per Procuratorem, vel per Episcopum? Referuntur Matrimonia Clodovei Regis Franciæ de Anno 494. & Leopoldi Imperatoris de Anno 1665.

SUMMARIUM.

- 1 Sacramenti Matrimonii definitio.
- 2 Contractus Matrimonii est fundamentum Sacramenti.
- 3 Sacramentum Matrimonii confert gratiam ex opere operato.
- 4 Gratia Sacramenti Matrimonii qui sunt effectus?
- 5 Gratia prædicta est duplex. Et cur? num. 23.
- 6 Matrimonii Sacramentum dicitur in fieri, non autem in facto esse.
- 7 Gratia an detur conjugibus toties quoties coeunt?
- 8 Matrimonium an fuerit Sacramentum etiam ante Legem Evangelicam?
- 9 Rationes pro affirmativa, text. & DD.
- 10 Rationes pro negativa, & Concilia.

- 11 Benedictio à Deo data Adam, & Eve quid fuerit?
- 12 Apostolus scribens ad Ephesios 5. 32. loquebatur de Matrimonio Christianorum.
- 13 Matrimonium in lege veteri quomodo fuerit remedium concupiscentiæ?
- 14 Sacramenta non reperiuntur nisi in Ecclesia.
- 15 Infidelium Matrimonia cur dicta sint Sacramenta?
- 16 Infidelium Matrimonia, dum baptizantur, an evadant Sacramentum?
- 17 Quod sic, si novo consensu contrahant simul.
- 18 Ina absque novo consensu.
- 19 Quod non fiant, neque fieri possint Sacramenta; rationes, & DD.
- 20 Matrimonium fidelis cum infideli an sit Sacramentum.
- 21 Clotildis Christiana nupti Clodoveo Regi Francorum Pagano.
- 22 Clotildis Matrimonium an fuerit Sacramentum? Quod sic, rationes.
- 23 Quod non, rationes.
- 24 Matrimonium an sit unum Sacramentum? vel duo?
- 25 Clotildis filius ex Clodoveo Pagano susceptus baptizavit.
- 26 Columba miraculosum Christina attulit in baptismo Clodovei.
- 27 Matrimonium fidelium an ab eis fieri possit, quod non sit Sacramentum?
- 28 Rationes, quod non.
- 29 Rationes, quod sic.
- 30 Sacriligium est velle contrahere Matrimonium sine Sacramento.
- 31 Matrimonium sine Sacramento impedit, & dirimit.
- 32 Matrimonium an possit contrahi per Procuratorem, seu per Episcopum?
- 33 Et an sit Sacramentum? Ratio pro negativa.
- 34 Rationes pro affirmativa.
- 35 Matrimonia per Procuratorem inita à principibus renovanda coram eorum Parocho, & testibus.
- 36 Leopoldi Imperatoris renovatio prædicta Matrimonii sui cum Margaritha Tereſa Regis Hispaniarum filia Anno 1665.

Matrimonium considerari posse vel tamquam simplicem contractum, vel tamquam Sacramentum diximus in Decif. I. num. 1. & quia, prout Contractus est, aliud dicitur in fieri, & aliud in facto esse, dedimus definitionem Matrimonii contractus in fieri in Decif. II. num. 1. ac prout est in facto esse illud definivimus eadem Decif. II. num. 8. & ex utraque definitione integram naturam, ac essentialiam contractus Matrimonii declaravimus. Restat, ut in præsentii illud definiamus tamquam Sacramentum; & nonnulla dubia circa ejus esse Sacramentale à Theologis agitata, eorumque resolutionem proponamus; ut studiosi Decisionum harum plenam notitiam hujus Sacramenti consequantur.

Itaque Matrimonium tamquam Sacramentum, sic definitur à Canonistis: *Est signum sensibile gratiæ colate Viro, & Mulieri legitimo modo copulatis, ad perpetuam vite consuetudinem mutuo peragendam.* Gonzalez in *Comment. ad c. 1. n. 10. de sponsal.* At Scholastici dant sequentem definitionem traditam à Scoto in 4. *Sent. dist. 26. quæst. Unic. Videlicet: Est expressio certorum verborum, vel signorum æquivalentium Maris, & femine ad se invicem, significantium traditionem mutue potestatis corporum ad problem debite procurandam, ex institutione Divina efficaciter significantem gratiam conferendam mutuo contrahentibus ad conjunctionem mutuum animorum gratiosam.* Hanc eandem refert Maitius in 4. *Sent. tom. 4. disp. 7. no. 10.* dicens, quod hæc est definitio perfectæ, nam explicat omnia essentialia ad hoc Sacramentum;

mentum; dum enim dicitur *Expreflo certorum verborum*, vel *figurarum* etc. significatur, quod hoc Sacramentum fundatum est in contractu; & quod ipse contractus Matrimonialis est fundamentum, cui inest essentia hujus Sacramenti; & ideo omnia essentialia ad validitatem contractus Matrimonialis sunt de essentia Matrimonii Sacramenti; itaut si contractus ex defectu alicujus partis essentialis sit nullus, etiam Sacramentum subiaceat nullitati. Cum vero dicitur *Ex institutione Divina efficaciter significans gratiam*, etc. specificatur Matrimonium sub ratione Sacramenti, quae consistit in virtute ei à Christo collata ad conferendam gratiam contrahentibus, sicut suscipientibus illa Sacramenta; & quidem ex opere operato. Cum vero dicitur *ad conjunctionem mutua amorem gratiosum*, denotatur finis, & differentia hujus gratiae Sacramentalis, ut discernitur ab aliis Sacramentis; quia gratia Baptismalis est ad regenerandum; gratia Confirmationis ad roborandum in fide; & sic de aliis Sacramentis; quae sicut ad differentes morbos hominum viatorum sunt instituta, ita conferunt gratiam ad hunc, vel illum finem. Porro quia Sacramentum hoc est institutum ad bene ferenda onera Matrimonialia; ideo confert contrahentibus Matrimonium gratiam sanctificantem, & alias gratias, ac auxilia ad praedictum finem opportuna; & sic differit haec gratia ab illa aliorum Sacramentorum, quae per se ad hoc non sunt instituta; ut differit idem Matritius d. disp. 7. n. 10. & Eminentiss. Card. de Lauræa de Matrimo. disp. 13. art. 14. ubi n. 220. bene advertit, quod haec gratia est duplex; quia cum duo sint contrahentes, confertur utrique conjugi, dummodo tamen sint dispositi, & non ponant obicem; ideo non contrahant in peccato mortali; quod si obicem ponent, non recipiunt ipsam gratiam: at obicem remoto consequuntur auxilia ab ipso Sacramento provenientia; quae quidem auxilia recitantur à S. Bonaventura in 4. disp. 26. p. 2. q. 2. & referuntur ab eodem Eminentiss. Card. de Lauræa d. disp. 13. numer. 223. utrobique à Studiosis legenda.

Ex his deducitur, quod essentia hujus Sacramenti consistit, & fundatur in contractu Matrimonii in fieri, non autem in facto esse; & sic in actu illo transeunte, & non in vinculo Matrimoniali permanente; atque ideo Sacramentum Matrimonii est Sacramentum in fieri tantum, non etiam deinceps in facto esse; nam solum ille contractus, & actus transiens institutus est, & elevatus tamquam medium ad conferendam gratiam; non vero vinculum ex illo actu resultans, & deinceps permanens; & hinc sequitur, quod quoties conjuges in statu gratiae coeunt, & actum Matrimoniale exercent, toties non recipiunt novam gratiam sanctificantem ex opere operato, neque novae gratiae augmentum, ut tenent Copinchius, Averfa, Caspensis, & alii, quos allegat, & sequitur Matritius d. disp. 7. numer. 11. adducens textum in capit. *Conrubia*. 32. quest. 2. sic dicentem: *Conubia legitima carent quidem peccato: non tamen tempore illo, quo conjugales actus gerantur, praesentia Sancti Spiritus dabitur; etiam si Propheeta esse videatur, qui officio generationis obsequitur*. Propterea ipse Matritius ibidem numer. 12. reprobat doctrinam Sanchezii, qui de Matrim. lib. 2. disp. 5. num. 7. docet Matrimonium esse Sacramentum tam in fieri, quam in facto esse adinstar Sacramenti Eucharistiae, quod tale est, dum conficitur, & quotiescumque species consecratae, ac reservatae sumuntur; nam, ut advertit Averfa de Matrimo. quest. 2. sect. 1. Eucharistia per suum usum, dum sumitur, gratiam confert suscipienti, & est Sacramentum, quia species panis, & vini significant, & continent alimentum gratiae spiritualis, quam conferunt. Sed copula carnalis inter conjuges non repraesentat conjunctionem Christi cum Ecclesia pratico modo, qualis esse debet Sacramentorum signi-

ficatio, sed solummodo speculative; siquidem vera, & practica significatio hujus Sacramenti habetur in ipso contractu, & quando conjuges contrahunt Matrimonium per verba de praesenti, tunc enim repraesentatur Christi conjunctio cum Ecclesia; quia tunc conjugum animi adinvicem colligantur; & sus recipiunt in eorum corpora traditur indissolubile; & ideo in ipso contractu in fieri invenitur tora, & completa hujus Sacramenti ratio, tam ratione collationis gratiae, quam ratione repraesentationis Unionis Christi, & Ecclesiae; non autem in facto esse, & in actu copulae carnalis; ut fufius scribit ipsemet Matritius d. disp. 7. num. 12.

Hic autem nonnulla dubia sunt resolvenda, quae à Scholasticis promoventur circa Matrimonium tantquam Sacramentum. Primum est, An Matrimonium etiam ante Legem Evangelicam, & in omni populo fuerit Sacramentum? A. A. Lensis, Catherinus, Petrus Soto, Alphonsus de Castro, & alii citati à Matritio d. disp. 7. de Matrim. num. 26. affirmarunt ex sequentibus rationibus. 1. Quia cum Deus creasset Mafculum, & Feminaem in Paradiso terrestri benedixit illis, & ait: *Crescite, & multiplicamini*. Genes. 1. 28. Tunc igitur Matrimonium institutum est; & factum Sacramentum habens vim conferendi gratiam; alias illa benedictio fuisset otiosa. 2. Quia Apostolus Paulus, quando dixit *Ephef. 5. 32. Sacramentum hoc magnum est*, loquebatur de omni Matrimonio, tam fidelium, quam infidelium, & ideo refert illa Verba Genes. 2. 24. *Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem suam, & adheret Uxori suae: & erunt duo in carne una. & adheret Uxori suae: & erunt duo in carne una*. 3. Quia deinde post peccatum Matrimonium institutum in remedium concupiscentiae. Ergo ex tunc vim habuit à Deo gratiam conferendi, ut concupiscentiae malo mederetur. 4. Quia S. Augustinus lib. de bono conjugali cap. 18. inquit, *Sacramentum Matrimonii esse omnibus gentibus commune*. 5. Quia Innocentius III. in cap. *Veniens*, de Praeyter. non baptiz. ita habet: *Quoniam hoc Sacramentum conjugii, & Eucharistiae à non baptizatis recipi potest*. 6. Quia idem Innocentius III. in cap. *Caudenus* de Divort. dicit: quod *Sacramentum Conjugii apud fideles, & infideles existit*. 7. Quia in c. ult. de Transf. ad. ita Honorius I. I. scribit: *Uxor Conjugii Sacramentum, quod non solum apud Latinos, & Graecos, sed etiam apud fideles, & infideles existit*. Idcirco Matrimonium fuisse Sacramentum olim in lege naturae, & nunc inter infideles scripserunt Catherinus lib. 5. contra Caeteranum tit. de Matrim. q. 5. Rossensis contra Regem Angliae Assert. 7. de Sacram. & Castro de Haeresib. Verb. Nuptiae, Haeres. 3. ut notat Gonzalez in Comment. ad cap. De infidelibus, sub num. 3. De consangu. & affini.

Nihilominus dicendum, ac tenendum est, Matrimonium in lege naturae, ac etiam apud infideles fuisse quidem, ac esse Contractum honestum; non autem Sacramentum; quia septem Sacramenta Ecclesiae, inter quae numeratur Matrimonium, à Christo Domino sunt instituta, ut definitum est in Concilio Tridentino sess. 7. can. 1. & sess. 24. can. 3. & ante illud in Florentino ab Eugenio IV. Certum enim, & infallibile est axioma illud, quod Baptismus est janua omnium Sacramentorum; & eorumdem nullus est capax, nisi suscepto Baptismo; ut late demonstrat pluribus argumentis Matritius d. disp. 7. in 4. sent. tom. 4. n. 27. & 28. Emin. Card. de Lauræa disp. 13. de Matrim. art. 7. & art. 8. ac differit Gonzalez in Comment. ad d. c. De infidelibus, numer. 3. De Consangu. & Affini.

Neque obstant, quae supra adducta sunt in contrarium. Non primum de benedictione à Deo data primis parentibus, dicendo *Crescite, & multiplicamini* modo se habent quoad receptionem Sacramenti, sicut se habent quae nunquam inter fideles contra-

con-

conferendi gratiam Sanctificantem; & hoc patet, quia etiam volatilibus, & aqualibus Deus benedixit, dicens: *Crescite, & multiplicamini* etc. ut legitur Gen. 1. 22. Non Secundum ex verbis Apostoli ad Ephef. 5. 32. quia aliqui respondent *h Sacramentum fuisse sumptum ab Apostolo lato modo, pro mysterio aliquo etiam in lege veteri existente, videlicet futurae conjunctionis Christi cum Ecclesia*. Porro Matritius d. disp. 7. num. 30. cum Hiqueo, Averfa, & aliis, constanter dicit, quod Apostolus loquebatur de Sacramento Christianorum, ad quos tunc scribebat, & quos hortabatur vivere cum sanctitate in Matrimonio, & ideo loquitur per verbum de praesenti. *Sacramentum hoc magnum est*; non autem de praeterito fuit, fuerat, aut erat; quia intelligebat de fidelium conjugio; non autem de illis infidelium, vel legis Moysaeae. Non Tertium, quia post lapsum primum parentum, fuit quidem Matrimonium iterum datum, ac propositum in remedium concupiscentiae, sed non tantquam Sacramentum conferens gratiam sanctificantem; sed ut medium licitum, & honestum, quo homines uterentur ad concupiscentiam sedandam; abstinentes se ab aliis illicitis. Non obstant reliqua ex verbis S. Augustini, ac Summorum Pontificum desumpta; quamvis enim, ut ait Barbosa in Collect. DD. ad d. c. *Gaudemus*, de Divort. numer. 3. elaborent maxime DD. in declarandis hujusmodi verbis, quae videntur difficillimae resolutionis; quia Sacramenta non reperitur nisi in Ecclesia. c. *Quia ex sola 24. q. 1. cap. Extra Catholico. 1. q. 1. & cap. Plerumque 5. hinc est*. 2. qu. 7. nihilominus alii dicunt, Sacramentum Conjugii existere apud infideles habitum, non vero actum. Ita Covarvius de Sponsal. p. 2. cap. 1. §. *Unic. num. 4.* Alii quod illud verbum *Sacramentum* ibi sumitur large, & improprie. Ita DD. apud Sanchez de Matrim. lib. 2. disp. 8. n. 1. Alii quod nomen illud Sacramenti accipitur pro aliquo signo rei Sacrae; secus autem pro vero Sacramento, gratiam conferente. Ita Ricciolus de Jure person. extra grem. Eccles. lib. 2. cap. 1. num. 8. Ipse Barbosa ubi supra n. 5. ita respondet: *Sacramenta in genere sumpta in duas partes dividuntur; in Sacramenta scilicet legis veteris, ac naturalis; & legis novae, ac Evangelicae, quae licet inter se multum differant, tamen omnia dicuntur Sacramenta; & ideo Matrimonium apud infideles dicitur Sacramentum; non quidem legis Evangelicae, sed legis veteris; in qua tale dicebatur, sed imperfectum; & gratiam non efficiens*. Theologi tandem respondent, Matrimonium infidelium appellari Sacramentum lato modo sumptum, idest Mysterium, ea ratione quia valet significare aliquam Unionem Christi cum Ecclesia. Ita Matritius d. disp. 7. sub num. 30. & Eminentiss. Cardin. de Lauræa d. disp. 13. art. 7. & 8. Et in hoc sensu accipiendi sunt Theologi, qui vocaverunt Sacramenta Matrimonii infidelium, Catherinus, Rossensis, & alii.

Dubium secundum est: An Matrimonium Infidelium, saltem quandoambo conjuges baptizantur, evadat Sacramentum, cum antea simplex contractus esset, itaut esse gratiam conferat? Circa hoc tres sunt opiniones. Prima affirmat, dummodo uterque conjux post receptum baptismum, reiteret consensum in ipsum Matrimonium, ac illud ratificet. Ita Capreolus, Hechius, Card. Bellarminus, Henriquez, Bonacina, Ledesma, Abellius, & alii, quos citat Matritius d. disp. 7. n. 21. & quibus adhaeret Emin. Card. de Lauræa d. disp. 13. art. 9. num. 145. & segg. utque ad n. 149. ubi reddit hanc rationem, dicens: *Ille requiruntur, quae se habent ut materia, forma, & intentio: sed consensus ille externè expressus dicitur haec*. Ergo. Item: *Et prorsus modo se habent quoad receptionem Sacramenti, sicut se habent quae nunquam inter fideles contra-*

nerunt. Sed isti, ut Sacramentum Matrimonii faciant, egent consensu illo externè expresso. Ergo. Major patet, nam contractus, qui prius praecessit, cum modo nihil sit, non potest esse subiectum; ita autem se habent fideles, qui non contraxerunt; habent enim negationem contractus, quae non est, nec esse potest fundamentum Sacramenti.

Secunda opinio dicit, Matrimonium infidelium, cum baptizantur, statim fieri Sacramentum absque alia repetitione, aut renovatione consensus. Eorum ratio est, quia contractus praeteritus ipsorum infidelium non habuit aliud impedimentum, ut Sacramentum tunc esset, nisi quia ipsi non erant baptizati. Ergo cum contractus praeteritus moraliter maneat; & fiat baptizatorum; evadit statim Sacramentum post susceptum baptismum; praesertim cum tam congruum sit, ut illis provideatur de remedio hujus Sacramenti, aliique remediis quibuscumque à Sacramento provenientibus ad ferenda onera Matrimonii. Ita Paludanus, Hispanens, Covarvius, Veracruz, Becanus, & Sanchez de Matr. lib. 2. disp. 9. num. 5. quem sequuntur Averfa eodem tr. q. 1. sect. 6. Tannerus tom. 4. disp. 8. qu. 2. nu. 51. Gobatus tract. 10. n. 390. & Pontius disp. 49. quest. 3.

Tertia opinio, rejectis prorsus duabus praecedentibus, tenet, Matrimonium jam inter infideles contractum nullo modo fieri posse Sacramentum, quando baptizantur, & ad fidem convertuntur. Ratio est, quia essentia hujus Sacramenti annexa est contractui Matrimoniali in fieri, non autem in facto esse, ut docuimus supra in hac Decisione numer. 6. ubi notavimus, quod hoc Sacramentum est quid transiens, & consistens in actione; & non in vinculo permanente. Cùm igitur contractus ille praeteritus infidelium non fuerit tunc inter baptizatos, non potest evadere Sacramentum, quando baptizantur, quia tunc actu non existit; & Sacramenta tantum sunt, dum applicatur eorum Materia, Forma, & Intentio physice, quae quidem Materia, & forma cum sit consensus conjugum (ut infra docuimus Decif. V.) non applicatur physice contractui, dum baptizantur, quia jam antea contraxerant. Ergo tempore Baptismi praeteritus contractus non potest evadere Sacramentum. Ita Vasquez, Coninchus, Silvius, Caspensis, Hurtadus, & Hiqueo, quos citat, & sequitur Matritius d. disp. 7. num. 32. & segg. ubi inquit in hac opinione, & eam alii rationibus confirmat; ac illam amplexus est etiam Diana Coordinatus tom. 2. tr. 6. resol. 126. existente in veteri p. 3. tract. 4. resol. 252. ubi respondet rationibus duarum praecedentium opinionum, dicendo, quod novus consensus post baptismum in idem Matrimonium nihil valet, cum jam non sint amplius iure libertatis, sed illa se privaverint tempore contractus, quo etiam dederunt sibi potestatem suorum corporum; adeo ut cum nihil proprii habeant ad contrahendum, novum contractum Matrimonii inire non possunt; & sic deficiente contractu in fieri, deficit ratio Sacramenti, quae sum effectum operatur, & gratiam confert in ipso primo actu contrahendi. Quod vero ad congruentiam, ut concedatur infidelibus conjugatis, dum baptizantur, opportuna auxilia ad onera Matrimonii ferenda, subdit Matritius ubi prox. nu. 33. quod Deus attenda fide, conversione, & baptismo illorum supplet gratiam, & auxilia, & quae conferuntur fidelibus in contractu Matrimonii virtute Sacramenti. Nam illi ea consequuntur, non ex vi hujus Sacramenti, sed ratione Fidei, ac Baptismi suscepti.

Tertium dubium est: An Matrimonium fidelis cum infideli sit Sacramentum saltem ex parte ipsius Fidelis? Sumi post exemplum ex Clodoveo Rege Francorum, qui Anno Christi 494. cum esset Paganus,

Paganus, captus amore pulcherrimæ Clotildis filie Principis Burgundie, eam duxit in Uxorem, ut narrat S. Gregor. Turonensis lib. 2. de Reb. Franch. cap. 28. & 29. Emin. Card. Baronius ad d. Annum 494. & ibidem ejus Summator. Spondanus num. 5. Novissimè P. Antonius Foresti in Mappamundo Histor. tom. 3. lib. 6. de Regib. Franc. pag. 162. circa quod Matrimonium supponendum est intervenisse Apostolicam dispensationem, quia cultus disparitas est impedimentum dirimens, ut suo loco dicitur. Igitur quod ad resolutionem attinet hujus dubii; certum est, non esse Sacramentum ex parte conjugis infidelis, quia iste ex defectu Baptismi incapax est aliorum omnium Sacramentorum, & sic Clodoveus Rex nullam gratiam sanctificantem potuit percipere ducendo Clotildem in uxorem, & quo ad ejus personam Matrimonium non potuit esse Sacramentum. Verum quo ad Clotildem Reginam dux sunt opinionum. Prima affirmat, quia ita videtur institutum à Christo Domino hoc Sacramentum, ut semper sit Sacramentum, quando Matrimonium contrahitur ab aliquo baptizato capace Sacramentorum. Tanto magis, quia fidelis contrahens cum infideli eget magna ope, ac auxilio spirituali, ex gratia sanctificante proveniente, ad ferendum illud onus cum infideli, & illum ad fidem convertendum, ut fecit Regina Clotildis post ipsam decem annorum. Confirmatur, quia si duo fideles Matrimonium contrahant, & unus sit in mortali, & incapax gratiæ sanctificantis à Sacramento proveniente; alter, qui obicem non habet peccati, recipit gratiam, & effectum Sacramenti. Ergo idem est dicendum si unus sit fidelis, licet alter sit infidelis. Ita tenent Sotus, Catherinus, Echius, Rebellus, Averfa, Hicobus, Pontius, & ipsemet Eminen. Cardin. de Lauræa dicit. disp. 13. de Matrim. artic. 10. in quo ultimus numer. 163. id probat ex paritate Baptismi, qui ministratus ab infideli animo faciendi, quod faciunt fideles, est verum Sacramentum.

Alter opinio negat, tale Matrimonium esse Sacramentum etiam quo ad contrahentem fidelem, ea ratione, quia essentia hujus Sacramenti consistit in mutuo expresso consensu utriusque conjugis, & non minus tantum. Sed dum alter est infidelis, atque incapax hujus Sacramenti non potest adhibere consensum aptum ad essentiam ipsius Sacramenti. Ergo tale Matrimonium neque respectu conjugis fidelis est Sacramentum. Confirmatur, quia Christus Dominus constituit hoc Sacramentum in solo contractu integro, qui talis evadit, quando illum ineunt duo baptizati, non sortitur naturam Sacramenti; siquidem sicut Matrimonium est unicus contractus duorum; sic etiam debet esse unicum Sacramentum in ambobus conjugibus. Ita sentiunt Henriquez, Vasquez, Coninchius, Isambertus, Hurtadus, & alii apud Sanchez d. lib. 2. de Matrim. disp. 8. cum quibus ipse tenet, & iidem adheret Tannerus apud Gobatum d. trad. 10. num. 790. atque Magistrus d. disp. 7. à num. 26. & seqq. ubi lato calamo habet opinionem negativam confirmat, & resolvit rationes contrarias.

Cæterum Becanus de Matrim. cap. 44. quest. 4. num. 8. ait pendere decisionem hujus dubii ab illa questione, quam Theologi faciunt, Utrum Matrimonium sit tantum unum Sacramentum, vel duo Sacramenta partialia, ex quibus unum perfectum integratur? Qui tenent esse duo partialia Sacramenta, concedunt quoque esse validum Sacramentum in conjugio baptizato, etsi nullum sit in infideli, pro ut gratia sanctificans recipitur à contrahente non ponente obicem peccati; non autem ab illo, qui contrahit obiciens in peccato. At qui docent, esse unum tantum Sacramentum, quia est unum tantum contractus inter Virum, & Feminam, cui contrahitur ininitur ratio Sacramenti, concludunt, cum

non possit esse Sacramentum ex utraque parte, ex neutra parte posse fieri Sacramentum. Eligat Studiosus Lector opinionem sibi magis gratam, cum pro utraque militent eximii Theologi, ac Doctores. Certum est Clotildem sanctissimam Reginam, & Uxorem Clodovei Regis Francorum copiosa Divinæ gratiæ munera obtinuisse, dum adhuc conjugis suo infideli filios sacro baptisimo lavacro potuit regenerare; & eundem Regem etsi ferocissimum, ac bellicosum ad fidem Christianam convertere; in cuius solemnem baptismate Ampulla Christianis, ore columba (figura est hæc Spiritus Sancti) castius adveniens allata est; qua tum fons more solito, tum etiam Rex ipse sacratu est: cuius exemplo successores Francorum Reges exultum celestis Ampullæ perenni, nec unquam deficiente sacro oleo hæntenus consecraverunt inungi: Verba sunt ipsius Spondani in Annalibus ad Annum Christi 499. num. 5.

Quartum dubium est: An inter fideles fieri possit Matrimonium, quod non sit Sacramentum? Exemplificat Theologi hoc dubium, si Sponsi in contrahendo Matrimonio essent in peccato mortali, & dicerent in animo suo, volo facere contractum validum Matrimonii, sed nolo facere Sacramentum, quia nolo committere novum peccatum. Vel si adinvicem pacifcerentur ita: Faciamus contractum; non autem Sacramentum. In hoc pariter dubio, alii negant, dari posse matrimonium validum inter baptizatos, quod non sit Sacramentum; alii affirmant. Negantium hæc sunt fundamenta. 1. Quia Matrimonium validum inter fideles elevatum est à Christo Domino ad statum Sacramenti. Ergo dari non potest Matrimonium inter illos, quod non sit Sacramentum. 2. Quia cum heretici, & præcipue Lutherus, & Calvinus dicerent, Matrimonium non est Sacramentum; Ecclesia contra eos definit, Matrimonium est Sacramentum; ut in Concilio Trid. de Matrim. sess. 24. can. 1. Ergo non potest dari Matrimonium validum in Ecclesia, & inter fideles, quod non sit Sacramentum. 3. Non est in potestate Ministris ponere materiam, & formam validam, ac cum illis intendere facere, quod fieri potest cum illis, & non facere Sacramentum; quia non ipse, sed Deus dedit talibus sensibilibus rationem Sacramenti. Ergo conjuges dantes materiam, & formam, cum intentione faciendi contractum Matrimonii, qui contractus habet à Christo rationem Sacramenti, non possunt hanc rationem impedire. 4. A Sacramento Matrimonii non potest separari ratio contractus. Ergo neque à contractu ratio Sacramenti. 5. Non potest homo invertere ordinem rerum à Deo præfixum. Igitur cum statuerit Deus, ut postico contractu Matrimoniali valido, insurgat ratio Sacramenti; si ponatur contractus, ponitur etiam Sacramentum. 6. Postis substantialibus pro Sacramento, non potest impediri effectus Sacramenti. Sed contractus validus Matrimonii inter fideles est totum id, in quo fit substantia Sacramenti; Ergo postico prædicto contractu adesse debet ipsi substantia, tamquam inseparabilis ab ipso contractu. Hanc opinionem tenent Ledesma, Coninchus, Averfa, & Sanchez de Matrim. d. lib. 2. disp. 10. num. 6. ac ipsemet Eminen. Card. de Lauræa dicit. disp. 13. art. 11. per totum.

Alii affirmant, dari posse Matrimonium validum inter fideles, quod non sit Sacramentum, si illi intendant facere solum contractum, non autem Sacramentum. Probant opinionem hanc ita. 1. Sine intentione Ministris nullum sit Sacramentum. Sed contrahentes Matrimonium sunt Ministris huius Sacramenti; Ergo deficiente eorum intentione, deficit Sacramentum. 2. Si quis adultus velit baptizari, & nolit Sacramentum baptismi, sed solum illam abluitionem exteriorem, non recipit Sacramentum. Ergo idem de conjugibus dici potest. 3. Con-

tractus

tractus Matrimonii inter infideles est validus, quia volunt cum valere; Ergo etiam inter fideles habentes eandem voluntatem. 4. Licet Votum Castitatis sit annexum Ordini Sacro, si quis velit ordinem suscipere, & non se obligare ad Votum castitatis, suscipiatque ipsum Ordinem, est valide ordinatus, nisi non sit obligatus ad castitatem ex voto; ut diximus in Decif. 27. de Sacramento Ordinis num. 63. Ergo idem in præfenti dubio de volente contractum Matrimonii, & non volente Sacramentum. Ex his præcipue argumentis stant pro hac opinione Vasquez, Hurtadus, Caspensis, Rebellus, & alii apud Dianam Coordinatum d. tom. 2. trad. 6. ref. 118. excerpta ex veteri part. 3. trad. 4. refol. 254. qui quidem Diana hanc ipsam amplectitur opinionem, & Magistrus d. disp. 7. num. 41. ad eandem inclinat; relinquens Studiosis decernere, quænam sit magis probabilis, quod & nos facimus, cum potius videatur quæstio metaphysica.

Duo tamen veniunt notanda pro majori dilucidatione hujus dubii. Unum est, quod si aliqui fideles cum hac intentione non recipiendi Sacramentum contraherent, magnum Sacrilgium committerent contra reverentiam Sacramento debitam; quia tenentur habere intentionem non solum conficiendi simplicem contractum, sed contractum cum esse Sacramenti, prout à Christo est institutum; ita enim obligati sunt omnes ministri aliorum Sacramentorum habere intentionem faciendi id, quod Christus instituit.

Ita Magistrus d. disp. 7. n. 41. in fine. Alterum notandum est, quod si cum prædicta intentione non faciendi Sacramentum, aliqui conjuges fideles contraherent, esset non facerent Sacramentum, facerent tamen validum contractum Matrimonii; ita ut eorum vita durante, neuter possit alteri nubere, neque nullitatem Matrimonii prætereire; ut ex Pontio, ac ex Vasquesio advertit Diana Coordinatus d. tom. 2. trad. 6. refol. 118. §. 2.

Quintum tandem Dubium est, Utrum Matrimonium sit Sacramentum, si contrahatur per Procuratorem vel per Epistolam? Supponere oportet Matrimonium tamquam contractum iniri posse nomine alterius per illum, qui mandat Procuratorem speciale receperit ab aliquo; cum enim omnis contractus fieri possit per Procuratorem alieno nomine, idem admitendum est etiam in Matrimonio, prout contractus est, ut docent Theologi, ac Canonistæ, quos citat, & sequitur Sanchez de Matrim. d. lib. 2. disp. 11. per totam; & habentur text. expressi in cap. fin. de Procurator. in 6. in cap. Honorantur. 32. quest. 2. & in l. Sufficit. ff. de Sponsal. Et hoc idem fieri posse per Epistolam est asseverandum ex traditis per eundem Sanchez d. lib. 2. disp. 12. & in utroque casu etiam post Concilium Tridentinum, quia satis est, quod Procurator præstet consensum nomine sui Principalis coram proprio Parocho alterius conjugis, ac duobus testibus; seu quod coram iidem Parocho, & testibus Epistola legatur: juxta omnes Canonistas, ac Theologos cumulatos per ipsum Sanchez ubi supra; per Dianam p. 3. tr. 4. refol. 249. quæ sedet in Coordinati ejus operis tom. 2. trad. 6. refol. 60. & latè per Barbosa in Votis Decifivis lib. 3. vot. 85. Igitur etiam in hoc dubio, An sit Sacramentum? alii negant, alii affirmant. Ratio negativæ opinionis est, quia sicut collatio Sacramenti est actio personalis, ita ejus receptio est passio personalis; quamvis autem tamquam contractus iniri possit ab absente per Procuratorem; nihilominus tamquam Sacramentum requirit præsentiam contrahentis principalis, ut minister applicet formam ad materiam in subiecto præsentem; ad similitudinem abluitionis Sacramentalis, quæ requirit Rei consentientis præsentiam, etsi in humanis omnibus reus etiam absens possit absolvi. Ita Estius, Sylvius, Victoria, Canus, & alii apud Dianam d. part. 3. trad. 4. refol. 249. §. 1.

De Sacram. Matrim.

Affirmativæ opinionis fundamenta sunt. 1. Quia in Matrimonio contractus, & Sacramentum sunt duo inseparabilia. 2. Quia ex Concilio Florentino ac Tridentino omnia Matrimonia fidelium sunt Sacramenta. 3. Quia aliàs nulla esset differentia inter Matrimonia contracta per Procuratorem, vel per Epistolam ab infidelibus, & inter illa sic contracta per baptizatos. 4. Quia Concilium Tridentinum circa Matrimonia nil aliud de novo requisivit, nisi publicitatem, idest præsentiam Parochi, & duorum testium. Igitur sicut antè Concilium fieri poterant Matrimonia per Procuratorem, ac etiam per Epistolam; ita & nunc possunt iniri; quia Procurator præstat assensum coram Parocho, & testibus; & coram iidem legi possunt Epistolæ contrahentium. Quare hanc opinionem amplectuntur Valentia, Pontius, Villalobos, & alii, quos citat, & sequitur Diana Coordin. d. tom. 6. refol. 60. §. 2. inter quos ipse Sanchez de Matrim. d. lib. 2. disput. 11. per totam, necnon disp. 12. quibus novissimè adhæret Barbosa d. lib. 3. vot. 85. num. 15. ubi alios cumulat; necnon Magistrus de Matrim. disp. 7. n. 62. ubi appellat hanc opinionem communioram, ac probabilioram; atque Eminen. Cardin. de Lauræa eod. trad. disp. 13. art. 12. & 13. qui respondet rationi contrariæ dicendo, speciale esse in Sacramento Matrimonii, ut possit fieri inter absentes, quia ejus essentia innititur contractui; & quancumque contractus sit valide à baptizatis, etiam Sacramentum statim perficitur; nihilque obest, quod effectus Sacramenti, scilicet gratia recipiatur ab absentibus; nam etiam ad intuitum suffragiorum, quæ pro animabus Purgatorii sunt super terram, Deus prænas relaxat iisdem degentibus subter terram. Similitudo autem abluitionis Sacramentalis non stringit, quod dari non possit absentibus; Sacramentum enim Penitentiae requirit præsentiam Rei consentientis ab ruborem illum, quem sentit in confitendo, & ob actus necessarios contritionis, vel attritionis; qui actus non sunt necessarii in contractu Matrimonii.

Hoc unum Studiosus Lector dignetur notare, quod ex Villalobos advertit Diana ubi proxime §. 4. videlicet, bonum esse ad tollendos scrupulos, quando contingat Matrimonium contrahi per Procuratorem inter absentes, (ut fieri solet inter magnos Principes) bonum esse, inquam, quod quando simul conveniunt, & Uxor ad Statum, Civitatemque Mariti, vel Maritus ad Civitatem Uxoris ingreditur, statim se præsentent coram proprio Parocho, & testibus; ac coram ipsis renovent consensum, & præsentialiter Matrimonium contrahant, recipiendo benedictionem à Parocho, & alias Ecclesiæ Cæremonias Sacras observando; ut certi sint de inito Sacramento, & de effectibus ejus; qui sunt gratia Sanctificans, ac alia auxilia cælestia ad ferenda onera Matrimonii. Ita fecisse Augustissimum gloriosæ memoriæ Imperatorem Leopoldum Anno 1665. narravit Nobilis Vir Nicolaus Sagredo, Orator Venetus apud eandem Cæsaream Majestatem Serenissimæ suæ Republicæ Venetæ, ut legitur in ejus Epistola diei 12. Decembris 1665. Inter Illas Antonii Bullifon Typis impressas Puteoli Anno 1685. ad pag. 222. & seqq. Cum enim ipse Cæsar contraxisset Matrimonium per Procuratorem cum Serenissima Margarita Teresa filia Regis Hispaniarum Philippii IV. cùmque ex Madrito Viennam adventasset hæc nova Uxor, sic prædidit Orator Sagredo retulit.

Serenissimo Principe.

Segui Domenica 5. del corrente l'ingresso dell'Augustissima Sposa in questa Città di Vienna. Fece l'Imperatore alzare un superbo Padiglione da guerra, mezza lega distante dalla Città, e dentro una capace stanza di tersissimi cristalli riceve la Sposa all'arrivo, che vi fece da Bestor. Omittis Aulicorum Militum phalangum, Ducum, Principum, Magistratum, ac

B

aliorum associantium ingressum in Civitatem narrationibus, subdit Orator: *Arivate poi le loro Maesta alla Chiesa di San' Agostino de' Riformati, smontate di cavallo, e di cocchio, baciarono ginocchioni con pietosa unilita la Croce, che loro porse Monsignor Nunzio del Pontefice assistito dal Clero, e da molti Vescovi, e Prelati con Mitre. L' Imperatrice Madre con tutte le Dame, Cardinale d' Arrach, ed Ambasciatori delle Corone l' attendea alla porta; e dopo gl' Inni, e Canti, Monsignor Nunzio si accosio alle Maesta loro, e fece a parte l' interrogazione, se intendevano approvare, e confirmare il Matrimonio in facien Ecclesia, stabilito per Procuratorem in Madrid? Ed avutane la vicendevole confermazione, benedi in nome del Signore, e in Virtu di speciale Delegazione Pontificia gli Sposi, e le Augustissime Nozze, impostando loro con breve Orazione Prole numerosa, e felicissimi Successi. Così si passò alle stanze dell' Imperadore, poi alla cena con bell'ordine disposta, apparsa in una gran Sala tra concerti di Musica, ed allegrezza, &c. En igitur servatum in praxi monitum Dianæ Coordinati d. tom. 2. traç. 6. resol. 60. §. 4. ita dicentis: Unde sic faciendum, si forte non receperunt Sacramentum, postea illud recipiant.*

DECISIO V.
ARGUMENTUM.

Inquiritur, Quænam sit Materia, & Forma Sacramenti Matrimonii? Referuntur octo opiniones diversæ; quarum tres ultimæ tamquam magis probabiles commendantur. Videlicet, quod Materia vel sit contrahentium corpora; Forma eorum traditio per verba, aut nusus æquivalentes. Vel quod consensus conjugum sit Materia; Eiusdem verò consensus expressio verbalis sit Forma. Vel quod Materia, & Forma sint Verba contrahentium sub diverso tamen respectu: nempe Materia dum traditionem corporum: Forma, dum eorumdem corporum receptionem exprimitur. Tandem ostenditur, An Muti & Surdi à nativitate possint contrahere Matrimonium, seu in Religione profiteri?

SUMMARIUM.

- 1 Theologorum varietas circa Materiam, & Formam Matrimonii.
- 2 Consensus mutuus an sit Materia Matrimonii. Forma, verba illa: Derelinquet homo patrem, & matrem suam, &c.
- 3 Forma Matrimonii an sint Verba Sacerdotis: Coniungo Vos &c.
- 4 Verba priora unius contrahentis an sint Materia; posteriora alterius an sint Forma Matrimonii?
- 5 Consensus an sit Forma; actus verò precedentes an sint materia Matrimonii?
- 6 Conformitas ad legem an sit Forma Matrimonii?
- 7 Corpora contrahentium Matrimonium an sint ejus Materia? & Forma verò, Verba exprimentia consensus? & num. 16.
- 8 Materia remota non facit Sacramentum; sed proxima.
- 9 Traditio corporum in Matrimonio est Materia proxima.
- 10 In Matrimonio idem est Materia, & Minister.
- 11 Consensus mutuus est Materia: ejus expressio est Forma Matrimonii. & num. 17.
- 12 Materia Sacramenti debet esse sensibilis. & n. 15.
- 13 Dolor internus peccatorum quomodo sit Materia Sacramenti Penitentia?

- 14 Verba utriusque conjugis quomodo possint esse Materia, & Forma Matrimonii? & num. 18.
- 15 Materia debet esse transiens in Sacramento transiente.
- 16 Muti & Surdi à nativitate an possint contrahere Matrimonium? Quid non; rationes tres.
- 17 Quod sic; Et quare?
- 18 Æthiopes non vocæ, sed nutibus loquentes.
- 19 Mutus ac Surdus, si etiam sit cæcus à nativitate, non potest contrahere Matrimonium.
- 20 Mutus & Surdus simul an possit facere Professionem Regularem?
- 21 Contrahentes Matrimonium an faciant duo, vel unum Sacramentum?

Cum itaque Matrimonium sit Sacramentum conferens gratiam sanctificantem, ex opere operato illud dignè suscipientibus, ut supra comprobavimus; & omne Sacramentum consistit ex materia, & forma, ac intentione Ministrum, & suscipientis, ut ex Decreto Eugenii IV. de Unione Armenor. docent omnes Theologi; & nos diximus in nostris Decisionibus De Sacram. in genere decif. 1. n. 8. idcirco in presenti inquirendum venit, Quæ sit Materia, & quæ Forma Sacramenti Matrimonii? Sed quia ipse Eugenius IV. in Concilio Florentino in supradicto Decreto, materiam, & formam aliorum Sacramentorum assignavit; non etiam hujus Sacramenti Matrimonii; idcirco Theologi de hac re disputant, & aded variè discunt, ut teste Matrino disp. 7. de Matrim. n. 44. hic verè locum habeat adagium, Quos capita, tot sententia; siquidem circa Materiam, & Formam Sacramenti Matrimonii, plurimæ referuntur opiniones, quæ referunt Sanchez eod. traç. de Matrim. lib. 2. disp. 6. Layman. lib. 5. traç. 10. punct. 1. c. 2. & alii allegati per Dianam in part. 3. traç. 4. resol. 250. reposita in ejus opere coordinato tom. 2. traç. 6. resol. 97. & præcipuè sunt sequentes.

Prima est Catherini in Opuscul. de Matrim. qu. 1. assertentis Sacramenti Matrimonii Materiam esse utriusque Conjugis consensum mutuum, verbis, vel nutibus sufficientibus expressum: Formam verò esse verbum Dei, de quo in Genes. 2. 24. & Christi in Matth. 19. 5. sanctificans omne Matrimonium, quantum semel tantum fuerit prolatum, nempe: Propter hoc relinquet homo Patrem suum, & Matrem suam, & adheret Uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sed hæc opinio est improbabilis, quia ad formam; quia omnia Sacramenta dum conferuntur, requirunt suam materiam, & formam præsentem; quæ tunc moraliter præferatur in eodem tempore, toties quoties fit Sacramentum, quapropter verba supradicta semel prolata ab initio mundi, & semel à Christo Domino repetita, non possunt esse Forma pro omnibus, & singulis Matrimonii usque ad finem mundi celebrandis.

Secunda opinio est Cani lib. 8. de locis Theologic. c. 5. dicentis; Materiam quidem hujus Sacramenti esse consensum contrahentium verbis, vel signis expressum, ac Formam esse verba, quæ profert Sacerdos conjungens ipsos contrahentes in Matrimonio, dum dicit: Ego coniungo Vos in Matrimonio in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Aven; subdens Auctor prædictus, quod si dicit Sacerdos, & Matrimonium fiat sine Sacerdotis presentia, est quidem validus contractus, non tamen Sacramentum. Sed hæc quoque opinio communiter rejicitur à Theologis, quia ante Concilium Tridentinum Matrimonium erat Sacramentum, etsi clandestinè factum, & absque presentia Sacerdotis; ac etiam quia Eugenius IV. in Concilio Florentino in cit. Decreto de Sacramentis §. 16. Sacerdotem non requirit, neque illum pro causa efficiente nominat; sed tantummodo ait: Causa efficiens Matrimonii regulariter est mutus consensus per verba de presenti expressus. Ergo nullo modo

lo modo verba Sacerdotis possunt obtinere locum Formæ hujus Sacramenti.

Tertia est opinio Richardi in 4. lib. sent. dist. 26. art. 4. quasi 2. scribentis, priora verba ab uno ex contrahentibus prolata esse, Materiam Matrimonii; posteriora verò, quæ ab altero contrahente profertur, esse Formam; aded ut dum Vir dicit: Ego accipio te N. in Uxorem; hæc verba sint materia Sacramenti; & dum Mulier respondet: Ego te accipio in Matrimonium; hæc verba habent vim formæ: idemque fore censendum, si prius loquatur mulier, & et Vir respondeat; videlicet, quod verba mulieris reputentur Materia; Viri verò verba posterioris dicta censentur Forma. Hæc opinio placet Victorie in Summa num. 245. Henriquezio lib. 11. c. 2. & aliis, sed rejicitur à cæteris Theologis, tum quia Sacramentum Matrimonii non habet Materiam, & Formam certas, sed vagas; esset enim in potestate contrahentium ex materia facere formam, & ex forma facere materiam loquendo prius, vel posterioris; tum etiam quia si loquerentur ambo uno & eodem tempore destrueretur Materia, & Forma; quia cognoscere non possent, imò non essent verba priora, ac verba posteriora.

Quarta est opinio Vignerii in Instit. c. 16. docentis, Formam Matrimonii esse consensum contrahentium verbis expressum, sive verba exprimentia consensus; Materiam verò esse alios precedentes actus consensum contrahentium. Porrò nec ista opinio amplectitur ab aliis, quia non offendit, qui sint tales actus precedentes expressionem consensus; quia hi vel sunt Sponsalia, vel Instrumentum Dotis, aut Scriptum nuptiale, & similes: At nullus horum potest vocari materia Sacramenti Matrimonii, quia non raro contrahitur sine illis.

Quinta opinio est Hiquei in Commentar. disp. 26. n. 71. & Poncii disp. 49. qu. 5. assertentium Materiam hujus Sacramenti esse contractum mutuum; Formam vero esse conformitatem ad legem, seu ad divinam institutionem; à qua provenit gratia. Sed non solum obscura est hæc opinio, & difficilis intellectu; sed non potest esse vera, quia materia, & forma Sacramenti debet consistere in aliqua re sensibili, à Deo instituta in signum efficac gratiæ conferendæ; talis autem dicit non potest neque asserta conformitas legi, neque Divina institutio; neutra enim censetur res sensibilis.

Sexta opinio, quæ inter probabiliores admittitur, est S. Antonii 3. p. tit. 1. c. 2. art. 1. nec non Vasquezii tom. 4. in 3. p. disp. 3. de Matrim. cap. 5. & aliorum citatorum à Collegio Salmanticensi tom. 12. de Matrim. traç. 9. cap. 3. num. 58. & à Laymano lib. 5. traç. 10. punct. 1. c. 2. n. 3. tenentium, Materiam Sacramenti Matrimonii esse corpora contrahentium mutuò tradita, vel tradenda: Formam verò esse verba, vel alia signa externa æquivalentia, quibus exprimitur internus consensus eorumdem corporum mutuæ traditionis, & translationis. Probatur hæc opinio It. Christus Dominus, ut passim repetunt Theologi, in nullo penitus immutavit contractum Matrimonii; sed solummodo exivit illum ad statum Sacramenti, ut esset gratiæ collativus. Ergo eadem Materia, & Forma est assignanda in hoc contractu, quæ in aliis Contractibus civilibus assignari solent, quæ Sacramenta non sunt. Liquidò autem constat in aliis contractibus Materiam illam esse, de qua contrahitur, ut in venditione domus, vel equi, ipsa domus, vel ipse equus; Formam verò esse mutuam contrahentium consensum signis externis, & sensibilibus expressum circa eundem contractum. Igitur cum eadem sit Materia, & Forma Matrimonii, quantum Sacramentum est, & quantum contractus; & materia hujus contractus sint corpora mutuò tradenda; forma autem consensus expressio circa eandem traditionem, concludenter dicitur, De Sacram. Matrim.

Materiam Sacramenti Matrimonii esse corpora tradenda contrahentium; Formam verò expressionem consensus per verba, aut signa, vel nusus æquivalentes circa eandem corporum mutuam traditionem. Probatur secundo hæc opinio ita: Eugenius IV. in præcitato Decreto Fidei de Sacram. dicit: Omnia Sacramenta tribus perfici; Rebus, tamquam Materia; Verbis, tamquam Forma; & Intentione Ministrum. Sed secundum hanc opinionem corpora tradenda à contrahentibus Matrimonium sunt res; eorumdem consensus expressio stat in verbis; intentio quoque ipsorum concurret tamquam Ministrorum. Ergo supradicta verè, & propriè sunt Materia, & Forma Sacramenti Matrimonii. His, & aliis argumentis, quæ brevitatis gratia omittuntur, hæc opinio recensetur inter magis probabiles apud Matrum de Matrim. d. disp. 7. n. 53. in 4. sent.

Nihilominus Salmanticensis, qui cam laudant, sed non amplectuntur, duo obijciunt contra illam: Unum est, Sacramentorum Materia alia est remota, seu circa quam; & alia est proxima, seu ex qua. Prima non facit Sacramentum, sed secunda; exempli gratia in Baptismo Aqua est quidem materia remota, sed ipsa non est Sacramentum: at effusio aque, seu ablutio baptizando cum aqua, quæ est materia proxima, facit Baptismi Sacramentum. Igitur corpora contrahentium, esto quod sint materia Sacramenti Matrimonii, tamen sunt materia remota, quæ ex se non facit Sacramentum. Alterum obiectum est. In Sacramentis Materia debet esse distincta à Ministro; & Minister non potest esse idem cum Materia: Sed in præfata quarta opinione, Materia, & Minister sunt unum & idem. Ergo non est probabilis opinio.

Cæterum respondetur, hæc objecta de facili tolli, quia quoad primum; corpora contrahentium sunt quidem materia remota; at eorum traditio, quæ fit in actu contrahendi, & suscipiendi Sacramentum Matrimonii, est materia proxima; prout aqua in Baptismo, tamquam quid materiale, est materia remota, & circa quam; ejus verò traditio, per abluionem, est materia proxima, & ex qua. Ad secundum respondetur procedere in aliis Sacramentis, non in Matrimonio; & ratio differentia est, quia Sacramentum Matrimonii sequitur naturam contractus, hujus autem contractus Matrimonialis natura est, ut idem sit Materia, ac Minister sub diverso respectu; quia qui efficit contractum est ipse contrahens tamquam Minister; & Materia ejusdem contractus est corpus alteri conjugii tradendum, circa quod versatur contractus. Ita Matrino d. disp. 7. num. 58.

Septima est opinio Navarii in Manuali cap. 22. num. 20. & aliorum Canonistarum docentium, Materiam Sacramenti Matrimonii esse mutuam consensum contrahentium; Formam verò consistere in verbis, quibus ille consensus exprimitur; nam per verba prædictus consensus informatur, & determinatur. Placet hæc opinio Valentia disp. 10. de Matrim. quest. 1. punct. 6. & Averlæ eod. traç. qu. 2. sect. 3. & cam docuerunt Capreolus in 4. dist. 26. qu. Unic. art. 3. & Rebullus de obl. just. lib. 2. quest. 4. sect. 3. num. 13. & se fundant in doctrina S. Thomæ, qui in 4. dist. 26. q. 2. art. 1. in solut. ad 1. dicit, verba conjugum esse formam hujus Sacramenti; & in solut. ad 2. habet, actus conjugum esse materiam illius; hi autem actus sunt consensus interni utriusque contrahentis.

Adhuc tamen impugnatur à pluribus hæc opinio ita: Materia Sacramenti debet esse sensibilis; siquidem sensibile signum est omne Sacramentum. At consensus internus non est sensibilis, cum sit purè spiritualis; non cadens sub sensu hominum, & quatenus habent, ut res cadant sub sensibus ad hoc, ut eas intelligant; ad differentiam Angelorum, à quibus per conceptus internos percipiuntur. Ergo consensus